



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnaburgensis Ecclesiae, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniae Agrippinae, 1657

Orandus Deus, ut mittat operarios in messem suam. 3

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

Ex Conc.
Agat. c. de
sacr. 23.
distin.

nachabus aut Lectoribus, etiam sacra vasa vel sacratas pallas contingere, vel incensum circa Altare præferre licuerit, verum id folis Diaconis permiffum fit, expreffim autem Laicis vetitum, ne pallas, Ecclefiæ vela, ac Altaris ornamenta abluant. Neque Patres hîc Scripturis deftituuntur. Iam verò eò ventum est, ut quatuor illi minores Ordines, nempe Ostiarii, Exorciftæ, Pfalmiftæ ac Lectores, non temere ab Ecclefiâ instituti ac recepti, præter nomen nihil in Ecclefiâ retinuerint, illorumque loco tenues aliquot homines Laici, qui per Ecclefiæ prælatos, minoris compendii gratia, subrogantur, illorum Officiis sese ingerant, idque indecore; quippe nullo penitus

Clericali habitu amicti; inter quos sunt, quos appellamus Campanarios, quos ad minimum (cereis accendendis aliisque in Choro ministracionibus intentos) deceret superpelliceis indui. Ne interim prætereamus, abluionem pallarum, vestimentorumque Altarium, breviter, sacrorum custodiam, talibus per Custodes seu Thesaurarios nostri temporis committi, quos, hæc contingentes, antiquitas nefarii criminis simul cum surrogantibus damnasset: quare cautius posthac agendum, ne ob talem præsumptionem Dominus iratus, plagam populo, qua simul innocens cum nocente involvatur, immitat.

P A R S Q V A R T A.

C A P. I. De Parochis, ac eorum Vicariis, aliisque verbi ministris.

Ititulus hic, cum generalis sit, in plerosque alios scinditur. Primum enim, videndum est, qui ad verbi ministerium & regimen Ecclesiarum admittendi sint: deinde, de vita ac moribus eorum: post, de officio; quod in duobus potissimum situm est, disseminatione verbi, & administratione Sacramentorum: postremo, de ipsorum victu, de quibus speciatim despiciemus. Ante omnia tamen Lectorem admonitum esse volumus, hos esse locos, quos Ecclesiarum jubar divus Paulus in Epistolis ad Timotheum ac Titum accuratissime tractat. Nam huc illi potissimum spectant, ut sciant Timotheus ac Titus, quomodo oporteat eos in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei viventis; nisi quod articulus administrationis Sacramentorum, & qui de victu est, alibi fusius explicantur. Porro, cum hæc Paulinæ epistolæ merè aureæ sint, & nulli non Parocho cognitu imprimis necessariæ; idcirco ad verbum ediscendæ, memoriæ mandandæ, ac opere complendæ erunt. Ex quibus & aliis Evangelicis Apostolicisque scripturis ac Patrum sanctionibus, Nos quædam decerpemus; quo dilucidius fiat, in quibus hætenus magno cum Reipub. detrimento peccatum, & quid de cætero Parochis factò opus sit.

1 Tim. 5.
In priori
ad Cor.
inth.

C A P. II. Qui admittendi.

Ioan. 10.

Matth. 9.

Qum Christus Iesus, Pastor ille bonus, ac Pastorum Princeps, qui posuit animam suam pro ovibus suis, circuiret omnes Civitates & Castella, docens in Synagogis eorum & prædicans Evangelium regni, & curans omnem languorem & omnem infirmitatem:

quum, inquam, is, qui venit requirere & servare quod perierat, vidisset turbas, misertus est eis, quia erant vexati & jacentes sicut oves, non habentes pastorem; dicebatque discipulis suis: Messis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.

Matth. 6.
Lucæ 10.

C A P. III. Orandus Deus, ut mittat operarios in messem suam.

NVm, quæso, putamus, necdum tempestivum esse, interpellare Dominum messis, ut mittat operarios in messem, ac Pastores, non quoslibet, sed secundum cor suum, nimirum ovibus miserè dissipatis ac balantibus requirendis? Quis, nisi in media luce cæcus, non persentiat, nos in ea periculossima tempora incidisse, in quibus prædictiones Christi, & Apostolorum scripturæ, omnino atque omni ex parte complentur? Quis enim non videt, venisse irrepsisseque, numerosâ admodum catervâ, ad nos, falsos illos Prophetas in vestimentis ovium, qui sint intrinsecus lupi rapaces, qui non introierint per ostium in ovile ovium, sed ascenderint aliunde, fures ac latrones? Non enim venerunt, nisi ut furerentur & mactent & perdant; quos videntes mercenarii, & qui non sunt Pastores, venientes, fugiunt & dimittunt oves; & lupi rapiunt & dispergunt eas. Fugit enim mercenarius, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus. Poterant direptores isti sub exuvio ovino aliquandiu delitescere, nisi Christus eos prodidisset; Ex fructibus, inquam, eorum cognoscetis eos; quod non possit arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos. Ex fructu enim suo unaquæque arbor cognoscitur.

Matth. 7.

Ioan. 10.

Matth. 7.

61. 3

C A P. IV.